

in felicitatis suae fastigio constituta, Reges exemplo Salomonis,^{a)} unctos fuisse perhibent ad fontem Gichonem, sive fontem in monte Gichone, qui ex parte urbis Hierosolymorum occidentali haud procul a monte calvariae situs fuit, et e quo Hiskias^{b)} praecipuum urbis aquae ductum, maximo sumtu, sed eximio urbis commodo, perfecit. Modum, quo oleum sacrum in fronte Regis fuit diductum, singularissimum quidem, sed regiae dignitati conuenientissimum exponunt, quem traditioni haud contempnenda acceptum ferunt. Oleum scilicet digito ungentis in forma corona fronti regis illum fuisse perhibent, interprete MAIMONIDE:^{c)}

מלך בית רוח נורן כמיין נזר על ראשן לא ומשח במקומות
מושחים אותה כמיין נזר על ראשן לא ומשח במקומות
אחרות ולא ורבה בשטן

Reges domus Dauidicae ungunt per modum coronae in capite, non ungunt aliis locis, nec multum consumunt olei. Figuram aeri eleganter incisam exhibet FORTVNATVS SCACCHVS^{d)} in *sacris Eleocharismatibus.*

VII

PONTIFEX M. VNCTVS EST VESTIBVS AVREIS INDVTVS,
CIDARIQVE PONTIFICALI ORNATVS.

LEVIOR haec uideri poterat obseruatio, quam ut digna iudicari queat et examine et demonstratione. At enim uero aliquid causae subest, cur hanc sententiam, ut intactam relinqueremus, a nobis impetrare haud potuimus. Ut enim taceamus, ordinem uerborum in sacro textu, qui expavit de Pontificis unctione, id, ut credamus, praecipere, cum unctione Pontificis non nisi exposita de uestibus induendis cidarique imponenda historia^{a)}

praeci-

a) 1. *Reg. I.*, 33. 34.

b) 2. *Paralipomen. XXXII.*, 30.

c) *de Vasibus Sanctuarii Cap. I. §. IX.*

d) *Myrothecio II. Cap. LXXIX.* p. 717. confer uberioris hac de re differen-

tem GVIL. SCHICKARDVM in iure
regio Hebracorum Cap. I. Theorem. IV.

p. 71. sequ.

a) *Exod. XXIX, 6. 7. 29. Leuit. VIII,*
12.